



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Judicium Ecclesiasticum Seu Decretalium Gregorij IX.  
Pont. Max. Liber II.**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Ingolstadii, 1726**

§. II. De Personis, quibus Appellatio permittitur, vel non permittitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74990)

tingat, ut sententiæ latæ in pejus reformentur, & aliquando in causa appellationis iudicetur deterius, quàm in prima instantia: item quòd aliquando nulla iusta ratione, sed litis tantum protrahendæ studio Appellatio in-

terponatur; id enim Iudicis, & litigantium, non rei vitio evenit, & aliunde constat saluberrimis rebus homines improbos sæpe abuti ad pessima, quo abusu tamen illa naturam non mutant.

## §. II.

De Personis, quibus Appellatio permittitur, vel non permittitur.

## SUMMARIUM.

7. 8. 9. Quis appellare possit?

10. 11. Quibus non sit permittum?

12. 13. An etiam illi, qui professus est cum Juramento ante sententiã, se non provocaturum à Iudice?

14. An Appellatio proficit etiam correis non appellantis?

15. Requisita, ut proficit isdem.

**Q**uaritur 1. quis appellare possit? &c. regulariter appellare permittum est omnibus, qui gravamen aliquod extra, vel intra Iudicium patiuntur, aut se passuros timent *can. ideo 10. caus. 2. q. 6. l. siquidem 1. ff. l. & in majoribus 20. l. siquis 30. C. b. tit.* In specie appellare 1. potest condemnatus per sententiã, modò aliud nihil obster: de quo infra.

2. Cateri, quorum interest nomine proprio, seu quibus ex sententiã præjudicium, vel damnum provenire posset, quamvis contra ipsos directè non sit lata sententiã *can. non solent 30. caus. 2. q. 6. c. cum super 17. de sentent. & re iudic. l. non solent. 1. princ. ff. de appell. recip. l. ab executore 4. §. alio 2. & l. seq. princ. ff. h. tit.* Sic rectè appellat 1. Principalis à sententiã lata contra Procuratorem non appellantem *l. ab executore §. alio cit.* 2. venditor victo emptore litigante super proprietate *l. cit. §. item si 3.* 3. hæres pro condemnato cohærede, & pro victo hærede instituto Legatarij *l. à sententiã cit. prin. & §. si hæres 1.* 4. fideiussor pro eo, pro quo intervenit. *Gloss. in l. à sententiã cit. V. pro eo.* 5. creditor à sententiã, quã, ipso ignorante, adjudicatum est pignus alteri *arg. l. sæpe 63. v. scientibus ff. de re iudic.* 6. maritus à sententiã, quã super dotis proprietate lata est contra focerum *arg. textus ejusdem.*

3. ij etiam, quorum interest nomine alieno. Ita appellare potest 1. Procurator pro domino, modò hic mox ratum id habeat *can. non solent. & l. non solent citt. c. non injustè 14. de Procurat. l. dominus 9. C. b. tit.* 2. Tutor pro pupillo, Curator pro minore *l. tutor 27. ff. l. si actor 10. C. eod.* 3. Pater pro filio, & filius pro patre *can. & l. non solent citt. l. ex consensu 23. §. filiumfam.* 2. junct. *Gloss. V. non mihi partis ff. eod.* 4. Dominus pro subdito, vel servo suo *l. servi 15. ff. eod.* 5. Episcopus, vel Abbas pro Clerico, vel Monacho suo, & hi in causa suã Ecclesiã, vel Monasterij. *Laym. in c. cum inter 16. de elect. n. 2. Pirh. hic n. 10. Wiest.*

n. 15. 6. denique quivis alius, etiam extraneus, & sine mandato, pro eo, qui ad supplicium ducitur *l. non tantum 6. ff. & l. additos 29. C. b. tit.* quia innocentem defendi, & beneficijs hominis hominem affici omnium interest. *l. servus 7. ff. de serv. exportand. Perez. in C. hic n. 5. Vallent. §. 2. n. 1. Pirh. n. 9. Wiest. n. 15.*

4. Appellare permittum est ipsi Iudici contra propriam pronuntiationem casu, quo contingit eum condemnato succedere, ubi tamen distinguendum est, an sententiã, quã pars condemnata gravata est, dolo tulerit, an verò iuste, quòd pars victa intentionem suã, vel exceptionem non satis probaverit; nam eo casu, si ipse, postquam parti condemnata succellit, probationem exacti circumstantijs accuratius ponderatis novam, & omnino sufficientem asserret, ad appellandum contra propriam suã sententiã est admittendus, nec propterea arguendus temeritatis, vel imperitiã, sed tota causa refundenda in eum, cui succellit, quòd jus suum aut ignorarit, aut non bene deduxerit. *Gloss. in l. 1. ff. de except. rei vendit. Zoes. ff. h. t. n. 7. Wiest. n. 16.*

5. Interdum appellare ab eadem sententiã potest pars utraque litigans, si probent per eandem utrique præjudicium asserri *c. si duobus 7. h. tit.* Quod contingere potest in casu, quo sententiã plures articulos continet, quorum unus adversatur actori, alter reo, ita, ut tam victus, quam victor gravatum se sentiat. *Gloss. in c. significaverunt 11. V. absolvit de Except. Abb. ibid. n. 7. Wiest. hic n. 17.*

Queritur 2. quibus appellare non sit permittum? *§. 1.* qui sententiã contra se latam expressè, vel tacitè, & ipso facto approbavit, & sic renuntiavit beneficio Appellationis *c. gratum 20. & ibi Gloss. fin. de Offic. Deleg.*

2. Qui tribus Edictis, vel uno Peremptorio citatus dixit se nolle venire, ideoque ob veram contumaciam condemnatus est *l. ex consensu 23. §. fin. ff. h. tit. & ibi Gloss. V.*

non

non rectè, Vall. hic §. 2. n. 1. & §. 6. & §. 4. n. 6. Pirh. n. 26. Wiest. n. 22. Ratio est, quia qui Judicem audire, eique parere per contumaciam renuit, indignus est, ut appellans audiatur à Judice.

3. Qui in eadem causa non detulit legitime appellationi sui Adversarij c. *constitutis* 23. & expressè c. *an sit* 42. h. t. cum enim quod quisque Juris in alium statuit, eo ipsum quoque conveniat uti l. *hoc edictum* 1. ff. *quod quisque Jur.* hinc meriti is non auditur, si in eadem causa, seu negotio appellare velit. Secus dicendum, si in diversa non connexa; nam in hac, etsi puniendus sit, appellare tamen non prohibetur arg. c. *dilectis* 55. h. tit. Gloss. *fin. in c. an sit* cit. Abb. *ibid.* n. 4. Pirh. n. 29. Wiest. n. 26.

4. Qui notorij criminis reus, vel de eo sponte, & ore proprio in Judicio confessus, simulque non dubia, ac plena probatione convictus est l. *observare* 2. c. *quor. appell. non recip.* estque hæc Lex canonizata can. *ei qui* 4. §. *nullus etiam caus.* 2. q. 6. c. *pervenit* 13. & c. *seq. h. tit.* Ratio est, quia appellatio instituta est ad removendum gravamen injustè illatum, ut dictum est n. 6. atqui de hoc non potest conquiri, qui notorij criminis reus, vel de eo in Judicio simul confessus, atque convictus est. ergo &c. Secus dicendum, si vel confessus tantum, vel tantum convictus est; nam utrique conceditur Appellatio: convicto quidem, quia fortè afferret fortiores probationes, quæ contra se allatas enervent; confessio autem, quia hic confessionem, saltem allegato, & probato errore suo, revocare permittitur, ut dictum est Tit. 18. n. 48. & seqq.

5. Qui in eadem causa, & super eodem articulo tres conformes sententias contra se tulit; nam ab harum ultima appellare non potest c. *sua nobis* 65. h. tit. & l. *un. C. ne liceat in una eademque causa.* Ratio est, quia adversus tertio condemnatum est præsumptio, quod foveat injustam causam, & ad litem duntaxat protrahendam appellet, cum aliquem in eadem causa, & articulo, & à diversis Judicibus ter gravari Jura non præsumant. Dixi, *in eadem causa, & super eodem articulo*, nam super articulo diverso ab eo, in quo ter succubuit, appellare potest: imò etiam ab eodem articulo, & sententia super eo etiam tertio lata, si ista novum gravamen afferat, ut in l. *un. cit.* rectè advertunt Perez n. 3. Brunnem. n. 1. Vall. hic §. 4. n. 5. Wiest. n. 27.

6. Excommunicatus: ubi tamen distinguendum est inter Appellationem Judicialem, & Extrajudicialem. Prior ipsi permittitur; quia est species defensionis, quam ne Diabolo quidem denegandam scribit Speculator: *posterior* ei negatur; quia habet vim conventionis, atqui Excommunicatus convenire alterum nequit, ergo &c. Vide Tit. 25. num. 14. & duob. seqq.

Quæritur 3. an appellare possit, qui professus est cum Juramento ante sententiam se non provocaturum à Judice? *Rationem dubitandi* faciunt textus Juris in speciem sibi contrarij; nam c. *questioni* 21. h. tit. statuitur, non esse admittendam appellationem illius, qui priusquam ferretur sententia, juravit se Ecclesiæ mandatis pariturum: cui simile quid habetur l. *tractandum* 1. §. *siquis* 3. ff. *à quib. appellat. non lic.* Contra c. *adhæc* 20. eod. sic appellantibus injungitur, *ut vel servent, quod jurant, vel intra 40. dies post appellationem interpositam iter arripiant ad ipsam proseguendam*; conf. appellatio aperte ipsdem conceditur. Verum apprens hæc Antilogia Juris facilè conciliatur, si c. *questioni*, & l. *tractandum* cit. dicatur prohiberi Appellationem contra mandatum, & sententiam Juri conformem; c. *adhæc* autem dicatur loqui de sententia, vel præcepto injusto. Quare ad questionem.

Respondeo distinguendo inter Appellationem frivolam, & legitimam. Frivola per hujusmodi Juramentum fit illicita, non verò legitima: unde non obstante Juramento, posteriorem istam licebit interponere, saltem quando iniquitas sententiæ, vel mandati est notoria. Abb. *in c. questioni* cit. num. 5. Vivian. *ibid.* §. *fin.* Laym. n. 2. Pirh. n. 16. Wiest. n. 25. Ratio est, quia ut cum Sylv. *V. juramentum* 3. q. 3. communiter DD. notant, Juramentum prælitum circa materiam Juris, & Justitia ultra limites Juris, & Justitia non debet extendi, sed imbibitam habet hanc conditionem, *si Juri, & Justitiæ conforme sit.* igitur si sententia non est Juri conformis, sed injusta notoriè, non tenebitur jurans juramento suo, & conf. appellare eidem licebit. Estque hoc verum, licet quis juraverit, se staturum sententiæ Judicis, quomodoocunque, aut qualiscunque lata fuerit; adhuc enim ab ea appellare potest, si illa injusta sit, & hoc sit notorium.

Dixi, *Saltem quando iniquitas sententiæ, vel mandati est notoria*; nam si notoria non est, & causa sit Civilis, appellationi ejus, qui juravit se non provocaturum, melius non deferendum advertit P. Wiest. *hic* n. 25. cit. Rationem dat, quia renuntiatio Appellationis in causis, proprium interesse concernentibus, licita est c. *directe* 39. h. tit. & l. *tractandum* 1. §. *siquis* 3. ff. *à quib. appell. non lic.* ac proinde hujusmodi promissioni, præsertim si Juramento firmata sit, eo casu standum est per regulam c. *cum contingat* 28. de *Jurejur.* & c. *quavis* 2. de *pac. in* 6.

Quæritur 4. an si in causa pluribus communi à sententia, contra omnes lata, unus tantum provocavit, & in Judicio Appellationis vicit, ejus victoriæ emolumentum etiam pertineat ad reliquos, qui non appellarunt? Videtur tenenda negativa ex *tristissima* Juris maxima, quod inter alios acta

acta alijs nec præjudicent, neque profint, prout sumitur ex *c. quamvis 25. de sent. & re judic. & l. sepe 63. princ. ff. de re judic. Et confirmatur*, quia unius à sententia appellantis condemnatio non obest cæteris litis confortibus *c. interrogatum 24. & ibi Gloss. V. profitetur caus. 2. q. 5. c. significasti 5. de adulter. l. denuntiasse 17. §. queritur 6. ff. ad Leg. Jul. de adulter. ergo nec pro eodem prolata ipsam dem proderit.*

Sed retinenda est affirmativa sententia; nam ita apertè decifum habetur *c. una 72. h. tit. l. siqui 10. §. fin. ff. eod. l. si Judici 1. & l. seq. C. si unus ex plurib. appellat. v.* Ratio est, quia objectum principale sententiæ Appellationis est sententia lata in prima instantia, de cuius validitate, & Justitia disputatur; non potest autem eadem sententia pro uno esse vera, & pro altero, qui Jure eodem utitur, esse falsa. igitur hoc ipso, si lata est pro uno, prodest etiam cæteris in eadem causa damnatis per sententiam primæ instantiæ.

Ad Argumentum contrarium illa Juris maxima in casu præfenti quoad emolumentum victoriæ non procedit, cum rescissâ sententiâ primæ instantiæ, necesse sit eandem vi omni destitui etiam quoad non appellantes. *Ad Conf.* quod condemnatio in secunda instantia non noceat alijs litis confortibus, statuendi specialis fuit ratio, quia facillè contingit, ut unus ex correis metu, vel errore inducatur ad confessionem sibi præjudiciosam, vel testimonijs, aut instrumentis falsis in secunda instantia vincatur: unde si tali casu condemnatio unius pertineret etiam ad cæteros litis confortes, necessaria defensio his facillè auferretur.

Queritur 5. quid requiratur ad hoc,

ut sententia pro uno appellante lata proficiat etiam alijs non appellantibus? *1. I. requiritur, ut sint correi, sive in eadem causa per eandem sententiam condemnati; nam de cæteris procedit Regula supra adducta, quod res inter alios acta in Judicio alijs nec proficit, nec obstat. 2. ut sententia lata sit pro uno in causa appellationis; nam si lata sit tantum in prima instantia, ordinariè, & nisi res individua sit, ut in servitutibus, sententia pro uno lata alijs non prodest, etsi eadem causa sit omnium. Et hoc est discrimen inter sententiam latam in prima, & inter latam in secunda instantia. Pirh. n. 13. 3. ut correi, sive per eandem sententiam condemnati communi omnes utantur Jure; nam si unus contra sententiam juvetur jure speciali e. g. favore ætatis per restitutionem in integrum, nisi res controversa sit incorporalis, & individua, victoria unius non prodest alteri, ut dictum est *Libr. 1. Tit. 41. num. 24. 4. ut sit idem negotium; nam si diversum sit, uno appellante, & vincente, alteri non prodest victoria: & ratio est, quia ob diversitatem causæ non possunt censerì unâ sententiâ condemnati. Abb. in c. 72. h. tit. n. 4. 5. ut sit eadem defensionis causa: secus, si sit diversa; nam diversa causa diversas sententias efficit, & sic facit, ut unus non comprehendatur in sententia lata pro altero. Abb. l. cit. 6. ut alter ex correis, qui non appellavit, sententiam primæ instantiæ expressè, vel tacitè non approbaverit; nam si ita approbavit, respectu ipsius transit in rem judicatam, & sic appellatio alterius ipsi amplius prodesse non potest. Abb. num. 4. cit.**

### §. III.

De Actibus, à quibus permissum, vel non permissum est appellare.

## S U M M A R I U M.

16. Regulariter appellari potest in omnibus causis.
17. Et ab omni sententia valida, aut gravamine.
18. Etiam Extrajudiciali de Jure Canonico antiquo.
19. Quod limitatum est novo Tridentini.
20. Appellatio non recipitur à Sententia, quæ quis condemnatus est ad pœnam Lege definitam.
21. In causis, & delictis notorijs.
22. A mero Executore.
23. A correctione Superioris secundùm SS. Canones, vel Regulam.
24. A sententijs Censurarum propriè dictarum.
25. Ab executione Electionis confirmatæ.

26. A sententia lata in Possessorio momentaneo.
27. Ab ea, quæ Judex mandat Testamentum aperiri, vel heredem scriptum in possessionem mitti.
28. In alijs causis non admittentibus dilationem &c.
29. 30. 31. 32. Quam vim habeat clausula, Ut Judex procedat Appellatione remotat?
33. 34. An, & qualiter appellare liceat à sententia Judicis ex Juramento decisa?
35. An etiam in minoribus causis admitti debeat Appellatio?

Queritur 1. in quibus causis liceat appellare? *1. regulariter loquendo, saltem de Jure Canonico antiquo, appellari potest in omnibus causis, & ab omni sententia valida, imò à quocunque alio gravamine*

illato, vel inferendo, etsi Extrajudiciale hoc solum sit: Ita Durand. *Specul. tit. de Appellat. §. 2. in princ. Rebuff. tr. de Appellat. præfat. num. 72. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. Annot. ad Gloss. 9. contr. nullit. & attent. n. 25. Valens.*